



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

24. Februarii. Debet sana communitas se tueri, & totius integritatem maturâ partium corruptarum amputatione conservare, priusquam ex iis vitium trahat, quod sanum est. S. Ignat. vit l. 3. n. 20.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

erroribus pœnarum te reum ages? Solven-
da sunt hæc debita, numquid beneficium
est, hîc ea potiùs, quàm purgantibus igni-
bus expiare?

Quamquam estò Angelus, ut impecca-
bilis fores, optandæ tibi cruces forent, si
credas æternæ veritati, leve tribulationis
æternæ gloriæ pondus operaturum.

24. Februarii.

*Debet sana communitas se tueri, & totius
integritatem maturâ partium corruptas-
rum amputatione conservare, priusquam
ex iis vitium trahat, quod sanum est.
S. Ignat. vitæ l. 3. n. 20.*

M Ira res! nemo solus vult esse malus.
Pars in affecto corpore, quidquid
ubique est vitiosi humoris ad se trahit: sic
quasi aucto fœdere in corporis totius
perniciem crescit.

Contagio pestis est communitatum. In
ea dissimulanda benignum esse, crudelita-
tis est maximæ. Amputandum est mem-
brum putridum, ne vicinum afficiat, sic
que sensim sine sensu cor pervadat, & to-
tum corpus periculo exponat.

Etiam nolenti sequiora nocent exem-

pla; nihil metuentes tenui halitu pestem
bibimus, non evitaturi malum, nisi separa-
tione longissimâ.

Et cœlum malis Angelis, & Collegium
Apostolicum Pseudo-Apostolo se libera-
vit, nec illis est dedecori, quòd indignos
loco moverint. Malo perditio, duplex ac-
crescit bonum, semel ex imminutione ma-
li, dein ex substitutione boni: Mathias Ju-
dæ lapsum abundè compensat.

25. Februarij.

*Pluris facienda est propria voluntatis ab-
negatio, quàm mortuorum suscitatio. S.
Ignat. ap. Nol.*

Mortuorum ad vitam revocatio nec
meriti prærogativam, nec virtutis
characterem, significat. Gratia est gratis
data, bonis & malis, Domino communi-
cante, communis.

Quid prodest suscitâsse mortuos, si do-
mestica vivant vitia, si pravi affectus vige-
ant; quibus mori, vita debet esse veri obe-
dientis & virtutis characteristica.

Deo in Superiore subjici est optima vi-
tiis extirpandis medela. Si tu obedis Deo,
obediet tibi caro; tu majori, tibi minor ob-

tem.